



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 15. Humilitas parit amorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

rumque, Pauli tanta operaretur miracula? ut demones ex emergentibus fugarent? Ut significaret; nihil detrahi de dignitate alicujus rei, per hoc, quod ad humilia officia adhibetur. Didacus Nisii, l. 7. c. 3.

Hujus rei gratia flecto genua mea Eph. 3. 14. Fecit pro homine coelos; fecit terram cum germinibus suis; fecit mare cum piscibus suis; fecit corporalia omnia, & ea homini tradidit possidenda: sed non pro his omnibus genua flexit. At verò cum Filium Dei pro se humiliatum vidit; stare non potuit; sed tantæ charitatis pondere superatus, pavimento prostratus adoravit. Sanct. Thom. Vill. tr. de adv. D.

§. XV.

Humilitas parit amorem.

ET partem gloriae tuae, Num. 27. 20. Alii qui per gloriam accipiunt humilitatem Moysis, quæ eum populo mirè amabilem, & laudabilem reddidit. Oleaster vertit; da Josue partem dejectionis, vel humilitatis tuae, q. d. doce Josue tuam humilitatem; ut hæc eum reddat populo acceptum, sicut te reddidit. Corn. hic.

Filius servi tui Isai Bethlehemita ego sum. 1. Reg. 17. 58. *Et factum est, cum compleisset loqui ad Saul: anima Jonatha &c.* 1. Reg. 18. 1. Nota quomodo humilitas, & generis obscuritas, ingenuè exposita, non viles, sed gratos nos reddat. Imò evectus jam ad solium, posteris testatum voluit; prius à se gregem servatum fuisse, quam regnum. Psalm. 77. 70. *elegit Davida servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium.* Oliva l. 6. Strom. §. Verba Jeremiae &c.

Amice, ascende superius. Luc. 14. 10. Superbia omnibus invidiâ; & inimica. Qui primum locum tenet, & ad inferiorem mandatur, non vocatur amicus; sed sedens infimò: quia hic humilis; ideo omnibus amicus. Utraque uxor Assveri, Vasthi, & Esther, imperium regis transgressa, diversò tamen eventu. Nam Vasthi, vocata ad convivium, renuit; & ad regis imperium venire contempsit: hinc repudiata. Esth. 1. 12. Esther non vocata (quod prohibitum) intravit tamen; Esth. 5. 1. & amantè excipitur. *Omnes ministri ejus consolabuntur eam.* Esth. 6. 1. 5. 19. Discrimen: Vasthi, superba venire contempsit; Esther verò humilitate intruens regem exterrita. Arrogantia fecit adversarios, humilitas patronos. Sylveira hic.

Quantò minorem se fecit in Humanitate, tantò majorem se exhibuit in bonitate; & quantò pro me vilior, tantò mihi clarior. S. Bernardus l. 1. in Epiph. D.

Humilitas facit hominem amabilem: nullus enim unquam invenitur, nisi diabolicus sit, qui non diligat humilitatem. B. Humbertus l. 35. ad Hospitalarios.

☞ (O) ☞

Polyanth. Sacr. Tom. I.

§. XVI.

Humilitas exaltat, promo-vet &c.

Num. I.

*Figura, & Symbola.**Ex Veteri.*

Faciamq; semen tuum sicut pulverem terræ. Gen. 13. 16. Deinde c. 15. 5. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Vidisti Abraham succellares in prima promissione pulveri terræ comparari, in secunda stellis. At qui hæc constare possunt? quid stellæ cum pulvere? terræ, & cælo? cur prius pulveri, tum stellis comparati? Ideo posterius ejus sunt stellæ, quia prius fuerunt pulvis. Vis esse stella, prius esto pulvis; considera te pulverem; & in stellam transmutteris. de Castillo Illat. 241. Ad stellam usque evehuntur, qui ita se abiciunt, sicut pulvis, Hugo Card. hic.

Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris. Gen. 48. 14. Joan. de la Haye tom. 3. in Gen. hujusmodi manûs impositione eum fratri anteponit, cum ei, tanquam inferior deberet subesse. Deus enim gaudet ex minoribus majores facere. Sic & nunc Ephraim; præ Manasse, extollit. Paoletti D. 10. Pent.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Vepres, & spinas, habebat Dominus sub pedibus; sed quomodo exaltata? de Castillo Illat. 83.

Impedioris lingua sum. Ex. 4. 10. Hoc fuit naturale vitium Moysi: quem ita indisertum elegit Dominus ad hanc legationem; ut Moysen per hunc defectum in humilitate contineret. Tum, ut liberatio Hebræorum non eloquentiæ Moysi, sed Dei potentia tribueretur: *infirmam enim Mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* 1. Cor. 1. 27. ita Theodoretus.

Currens Achimans per viam compendij, transivit Chusi. 2. Reg. 18. 23. Hebr. *currens per viam vallis.* Vis magnos præ alijs progressus facere, in studio perfectionis, & paucis horis longa emetiri itinera? per viam vallis, per sentiam humilitatis, & agnitionis propriæ, perge: hæc enim est via compendij. Didacus Nisii, Dom. 16. Pent. §. 5.

Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite, postquam sederitis. Plal. 126. 2. Sessio humilitatem significat. Tunc demum sperate exaltari, postquam vosmetipsos humiliaveritis. Sanct. Rupertus l. 6. in cap. 14. Olee. Prius humiliationem sustinete; & post ascensum præmia quarite gaudiorum; hic enim sessio humilitatem significat, non honorem. Ut Capitis nostri evidentibus instruamur exemplis; sedit, quando dixit, *tristis est*

Rrr

est